

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Conuersacio y cum fonte primo

Vbi quedam enim sunt loca  
in quibus silentium est seruandum,

quedam in quibus de intelligencia  
et expositione scripturarum collationes  
cum disciplina tamen et reuerencia,  
hoc est sine contencione et clamore

uerborum haberi possunt,  
quedam in quibus pro instructione morum  
uerba habenda sunt,  
quedam  
in quibus magis loquendi licencia laxatur,  
ita ut non solum de spiritualibus  
sed eciam de exteriorum dispositione  
et prouisione sermones admittantur.  
Loca autem in quibus uana et superflua dici debeant  
inuenire non possum.

Hugo ibidem (de disciplina monachorum).

Nam quaedam sunt loca,  
In quibus perpetuum silentium seruandum est.  
Quaedam vero in quibus humanos sermones,  
id est confabulationes ad alterutrum edere non licet,  
exceptis iis verbis quibus homo cum Deo  
et ad Deum loquitur, quando vel in orationibus  
vel in lectionibus sive in hymnis et canticis manifeste  
vel occulte prolatis Deo famulatur. Unde et beatus  
Augustinus *in oratorio nihil agendum esse* dicit,  
*praeter id ad quod factum est.* Sunt item alia loca  
→ in quibus pro disciplina et instructione morum  
uerba habenda sunt;  
quaedam iterum in quibus de intelligencia  
et expositione Scripturarum collationes  
(cum disciplina tamen et reuerencia,  
hoc est sine contencione et clamore  
et qualibet turpitudine  
verborum) haberi possunt.

←

Postremo sunt alia loca  
in quibus magis loquendi licencia laxatur,  
ita ut non solum de spiritualibus rebus,  
sed etiam de exteriorum dispositione  
et prouisione sermones admittantur.  
Loca in quibus uana et superflua dici debeant,  
inuenire non possum.

Hugo de sancto Victore, *De institutione nouitiorum*,  
15 (PL 176, col.946A-B).